



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Colocensi Electo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

tota Shira , Derveisin , Vhtredinuncsin ,  
insulam Lohlevenoh cum appendicis suis ,  
Munemel , Terineth , Morembus , Meth-  
kil , Kilecineath , Muccard , Pethgob ,  
cum terris Ecclesiarum , Strattheitnen ,  
Recolpin , Cas , Dulbrudet , Russin ,  
Losse , & juxta Pert Lungportin . In Maret  
Buhhan , Munemusch , Culsamuel , Elon ,  
cum terris Ecclesiarum suarum & omnibus  
pertinentiis suis . In Laodonia Listune ,  
Egglesmanekin , Keldeleth , Raththen ,  
Lefluade , Wedale , Clerkintun , Thiningan  
cum appendicis suis , Broccheth-  
muth . Possessiones autem & redditus qui  
sunt in Can & Cunevet ad mensam Episcopi  
deputati , sicut eos in praesenti justè  
ac canonice possides , tibi & successoribus  
tuis auctoritate apostolica nihilominus  
confirmamus . Infuper etiam praesenti  
pagina tibi duximus indulgendum ut  
possessiones & bona commissa tibi Ecclesie ,  
si qua illicitè alienata sunt vel dis-  
tracta , tibi licet legitime revocare . Li-  
ceat quoque tibi in Ecclesia sancti Andreæ ,  
cum Priore vacaverit , eum sine  
contradicione qualibet instituere , sicut  
haecenus prædecessores tui & tu ipse fe-  
cisti , & ipsius excessus , si quando exces-  
serit , dignè corriger . Decernimus ergo  
ut nulli omnino hominum licet præfa-  
tam Ecclesiam temerè perturbare aut ejus  
possessiones auferre , vel ablatas retinere ,  
minuere , seu quibullibet vexationibus fa-  
tigare ; sed omnia illibata & integra con-  
serventur eorum pro quorum gubernatione ac  
sufflatione concessa sunt usi-  
bus omnimodis profutura : salva sedis  
apostolica auctoritate . Si qua igitur in fu-  
turu ecclesiastica seculari sive persona hanc  
nostræ constitutionis paginam sciens ,  
contra eam temerè venire tentaverit , secun-  
dò tertioe commonita nisi præsumptionem  
suam digna satisfactione correxerit ,  
potestatis honorisque sui dignitate careat ,  
reamque se divino iudicio existere de per-  
perrata iniquitate cognoscat , & à sacratissi-  
mo corpore ac sanguine Dei & Domini  
redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat ,  
atque in extremo examine districtæ ultiioni  
subjaceat . Cundis autem eidem Ecclesia  
sua jura servantibus sit pacis Domini nostri  
Iesu Christi ; quatenus & hic fructum bo-  
nae actionis percipient , & apud districtum  
judicem præmia æterna pacis inveniant .  
Amen . Datum Romæ apud sanctum Pe-  
trum per manum Iohannis sanctæ Mariae  
in Cosmidin Diaconi Cardinalis S. R. E.  
Cancellarij xii , Kal. Ianuarij Indictione  
Tom. II.

xii. incarnationis dominicae anno MCCVI .  
pontificatus vero Domini Innocentij PP.  
III. anno decimo .

*PHILIPPO REGI*  
*Francorum illustris.*

**A** B eo credimus processisse in cuius  
mano cor Regis existit , & quocun-  
que voluerit vertit illud , quod , sicut per  
dilectum filium Iohannem Abbatem san-  
cta Genovefa , virum providum & fide-  
lem , ac etiam per litteras tuas nobis inti-  
mare curasti , ad Reginam disponis acce-  
dere , tentatur utrum eam cognoscere  
possis , dummodo per hoc nullum tibi vel  
causa tua præjudicium generetur , si for-  
san eam cognoscere non valueris , duos  
articulos exprimens , quos nunc explicare  
non expedire , in quibus tibi afferis provi-  
dendum . Oportet utique , fili carissime ,  
quod si volueris maleficium contra conju-  
gium intentare , cum timore Domini ad  
Reginam accedas , & adhuc tentes dili-  
genter ex fide , præmissis orationum , elec-  
mofynarum , & sacrificiorum suffragis ,  
utrum cum ea carnale commercium valeas  
exercere , ut cognoscatur ex hoc an ipsum  
maleficium sit solatum . Nos enim cupien-  
tes te , quantum cum Deo possumus , ex-  
pedire , præsentibus tibi literis intimamus  
quod si forsitan illi nequieris carnaliter  
commisceri , nullum per hoc tibi vel causa  
tua volumus præjudicium generari , quam-  
vis in altero illorum duorum articulorum  
nos utique quoad jus bene tibi providere  
possimus , in reliquo vero tu tibi melius  
quoad factum valeas præcavere . Si ergo  
permisum non fuerit ut cum ipsa Regina  
possis fieri una caro , & super impedimen-  
to maleficij volueris experiri , nos , cum  
requisiuti fuerimus , ad judicium procede-  
mus , sine quo profecto non prævales ab  
hoc vinculo liberari . Datum Romæ apud  
sanctum Petrum .

*Epiſt. 176.*  
*De causa di-  
vorcij.*

*COLOCENSI ELECTO.*

**Q** UONIAM juxta canonicas sanctiones  
multa nonnumquam electionem im-  
pediunt quæ postulationem impedit non  
debent , cum secundum rigorem juris pro-  
cedatur in illa , sed in ista favor gratiae po-  
tiū requiratur , electionem quam de te  
dilecti filii Colocenses Canonici fecerant ,  
licet pro confirmatione ipsius apud nos  
precibus multiplicatis institerint , propter  
defectum tamen atatis , quem eo tempore  
amplius sustinebas , exigente justitia non  
duximus confirmandam . Quia vero te

*Epiſt. 177.*  
*Confirmatur  
electio ejus.*

N

nuper à nobis humiliter postularunt propter urgentem necessitatem & evidentem utilitatem quæ de tua speratur promotione futura, te, cui & morum honestas & competens scientia, sicut credimus, suffragatur, Colocensi Ecclesia concedendum duximus in pastorem, prædictis Canonicis nostris dantes literis in præceptis ut postquam dilectus filius Gregorius tituli sancti Vitalis Presbyter Cardinalis apostolica sedis Legatus quod est à nobis dispositum ipsis denuntiaverit observandum, tibi tamquam pastori suo à nobis concessò & confirmato tam in spiritualibus quam temporalibus obedire procurent. Ne verò dispositionem nostram frustrari contingat, devotioni tuae per apostolica scripta mandamus quatenus si forsitan aliquo casu denuntiari nequiverit quod per prædictum Legatum denuntiari mandamus, tu nihilominus auctoritate præsentium, tamquam concessus & confirmatus à nobis, in Colocensi provincia pastoris officium exequaris. Datum Romæ apud sanctum Petrum x. Kal. Ianuarij, anno decimo.

*ABBATI SANCTI HILARII,  
Plebano sancti Pauli Castellanensis dioce-  
sis, & magistro Gallo Canonicō Tervisino.*

Epiſt. 178.  
Committitur  
eis executio  
enjūdām ſen-  
tentia.  
Cap. Ex literis.  
De offic. iud.  
delegati.

**E**X litteris venerabilis fratris nostri Patriarchæ Gradenſis accepimus quod cùm dilectus filius Gradenſis Primicerius & Plebanus sanctæ Sophiæ de Veneriis, quibus cauſa quæ inter Clericos sanctæ Iustinae ac Presbyterum Albertum, ſuper eo quod idem Presbyter Clericum le ipius Ecclesiæ aſterebat, agitari dinocuit, à nobis fuerat delegata, mandaffent eisdem ut memoratos Clericos, qui per Archipresbyterum Paduanum, ad quem fuerat ſuper eodem negotio quoddam à nobis reſcriptum obtinut, in quo, ſicut aſteretur, de prioribus litteris mentio non fiebat, denuntiari fuerant excommunicationis ſententia ſubjacere, niſi dictum Presbyterum in ſocium reciperenſ & in fratrem, idem Patriarcha denuntiaret anathematis vinculo non ligatos, ipſe volens eisdem judicibus in hac parte parere, qui noſtra fungebantur auctoritate, maxime cùm venerabilis frater noſter Castellanensis Epifcopus ipſis ſuper hoc parendum non duxerit requiſitus, Clericos sanctæ Mariae formofe mandatum ſupradictorum iudicū per ſuas litteras nuntiavit, quas dilectus filius Archidiaconus Castellanensis, Plebanus

eiusdem Ecclesiæ, legi publicæ coram populo non permisit. Cùmque ſuper hoc paucis diebus elapsis apud sancti Nicolai monasterium ab eodem Patriarcha benignè fuiffet idem Archidiaconus requiſitus, in iram ſubito concitatus, eundem Patriarcham gravibus verborum injuriis multis prefentibus lacesſivit. Qui conſiderans Archidiaconum ipsum per tantum injuriarum excessum non ſe tantummodo, ſed etiam Gradenſem Ecclesiæ, immo nos ipſos graviter offendisse, tam ipsum Archidiaconum quam prædictam Ecclesiastico ſuppoſuit interdiſto, ea præcipue ratione quoniam ex antiqua conſuetudine, ſicut dicitur, eſt obtentum ut litteræ quæ per patriarchatum Gradenſem à Patriarchis Gradenſibus diriguntur, indifferenter ab omnibus admittantur. Verū ad instantiam Clericorum & parrochianorum Ecclesiæ ſupradictæ, quoad ipsam Ecclesiæ Patriarcha interdiſti ſententiam relaxavit, ſub excommunicationis pena Clericis eisdem injungens ne Archidiacono participare präfumerent in divinis. Cùm autem Patriarcha jam dictus cum prafato Epifcopo ad monasterium sanctæ crucis pro celebrandis cujusdam exequis acceſſiſet, & Archidiaconus ſe vellet divinis officiis immiscere, Patriarcha pro vitando ſcandalō ſecellit in partem. propter quod Archidiaconus ipum coepit gravibus verborum injuriis aggravare. Idem quoque Archidiaconus, licet à divinis per unius diei ſpatium ceſſaviffet, poſtmodum tamen celebraſe publicè non erubuit interdiſtuſ. Ad hanc, de ſæpedicto Epifcopo Patriarcha gravem depositū quæſitionem, quod cùm ſibi & Gradenſi Ecclesiæ obediētiam teneatur & reverentiam exhibere, quamquam ei mandaverit ut prafatum Archidiaconum pro interdiſto & Clericos sanctæ Mariae pro excommunicatis haberet, & faceret excommunicationis & interdiſti ſententias ab ipso prolatas per Castellanensem dioceſim inviolabili-ter obſervari, idem Epifcopus in injuriam Patriarchæ permittens Archidiaconum in Ecclesia Castellanensi liberè ministrare, Clericis ſuę dioceſis ſub fidelitatis pena præcipiendo mandavit ut per Ecclesiæ ſuas Archidiaconum & Clericos ſupradictos nec interdiſti nec excommunicationis ſententia ſubjacere publicè nuntiarent. Vnde idem Patriarcha nobis humiliter ſupplicavit ut tantam injuriam & excelfsum, necnon in ipsum, ſed potius contra